

## Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4512

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

1741

## P O L E M I C I.

1742

liceat Communitatibus legi christi quoad illos salutare quatuor articulos adherentibus unum uel plures Episcopos eligere ac instituire absque Romani pontificis ac aliorum Episcoporum consecratione pariter et assensu, qui iura et officia Episcopalia in clero et populo prosequantur consueta. Noti sunt IV. illi Articuli Pragenses anni 1421. Quaestioneque ansam dedisse videtur Sacerdotum in Bohemia sensim deficiens numerus, quod Episcopi Catholici Hussi addictos ordinare nollent. Est vero illa imperfecta; definit enim in argumenta negantia.

XI. fol. 155. *Vtrum inter sacramenta veteris et noue legis ipsa sola noue legis sacramenta in signis sensibilibus instituta sint gratie medicinalis collatiua.* Adfirmatur.

XII. fol. 167. Sermo Magistri Jo. Hus in synodo, et quidem 1407. in die sancti luce, ut notatum ad calcem. Thema: *State succinxi &c.* Initium: *Cum triplex turba christiani exercitus &c.* Ut edit. cit. T. II. p. 47.

XIII. fol. 182. *De varijs modis mortale committendi peccatum.* Incipit: *Peccatum mortale septem modis perpetratur &c.* Item de Distinctione Peccatorum capitalium et minorum.

XIV. fol. 189. *Ad probandum quod Christus sit deus.* Loca Scripturae congesta, additaeque Obsectorum Solutiones.

XV. fol. 201. Sermo adhortatorius ad fumendam duplicem Speciem Eucharisticam. Init: *Pa-*

*tres ac fratres &c.* In omnibus me defectuosum reperiens contremisco &c. Exordium istud huc translatum est e Sermone Hussi de diligendo Deo, qui extat T. II. Opp. p. 39. eoque absoluto primum incipit Sermo de Sacramento, et quidem ita: *Patres, domini &c. Si quid in meo ingeniolo uestra bonorabilitas ac discrecio &c.* Adhaeret brevis Adhortatio de reuerenter habendo hoc Sacramento, ubi inter alia: *Item si sunt aliqui inter nos hic residentes, qui forsitan essent contra communionem parvulorum, non aduersentur, quia censerentur infideles &c.* Difficile est non indignari Hominibus, qui, dum circa Sacram Caenam quaestiones e quaestionibus subtilissimas iuxta et inutilissimas movendo argutabantur, simul vix verba reperiebant, quibus *supertremendissimum, et diuinissimum, et stupendissimum* hoc Memoriale efferrent.

## CCCCXLII.

Codex chartaceus lat. Sec. 905

XV. Folior. 287. 4. non una manu descriptus et ad Bohemiam, fortasse ad Jacobum ipsum de Misa, cujus nomen Thecae posticae intus: *Jacobellus de Misa*, minio adjectum est, pertinens Sequentia exhibet: I. Articulus *Sbinconi* Archiep. Prag. contra *Job. Hussum* oblatos, et hujus Responso, quorum initium: *Reuerendissime pater. Ad instantes preces &c.* Ut Cod. CCLI.

1743

## C O D I C E S

1744

II. fol. 6. p. 2. sequuntur 1.) Brevis Introductio in Notitiam Juris Can. quae incipit: *Nota pro breuiaturis Juris Canonici primo quod totum Jus in duas partes diuiditur &c.* 2.) Expositio IV. Sensus S. Scripturae, ut *Cod. CCCII. Nota, quod quadruplex*

*est sensus &c.* Adhaerent iisdem *Canones &c.* ut *Cod.* mox dicto.

III. fol. 15. *Vtrum christus omnem sanguinem qui de corpore suo effluxit &c.* Tractatus *Joh. Husi.* Vide *Cod.* mox cit. Ad calcem Librarius non utique de calice Christi:

*Explicit hoc totum infunde da michi potum.*

IV. fol. 27. p. 2. Ejusdem Sermo Synodalis: *State succincti &c.* ut *Cod. CCLI.* et alibi. Ad calcem: *Day to boze nam pozijtj. Alleluja. i. e. Da Deus his uti. Hic sanctus sermo in sancta Synodo pragen. Ecclesie et dyocesis eiusdem per Reuerendum Magistrum Johannem sacre pagine Baccal. dictum Husi de hussynecz est predicatus Sub Anno domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> VII<sup>o</sup> in die sancti luce. Hoc scriptum est cum sinistra manu. Nomen illius (Scriptoris) Paulus de praga.*

*ciauit publice in Betleem Anno domini 1413. et eodem anno finit feria V. ante festum Sancti Spiritus. Praeit Index. Initium: Cum quilibet viator &c.* ut in *Indice.*

VIII. fol. 138. p. 2. *De ecclesia sententia doctorum.* Initium: *Quia in equivocatione huius nominis ecclesia multi decipiuntur &c.* Est *Stephani Palecz,* ut *Cod. CCCCIV.* et aliis.

V. fol. 39. Ejusdem de Correctione Cleri. Initium: *Circa preparacionem (praedicationem) ewangelij &c.* ut *Cod. CCLI.*

IX. fol. 141. *Consilium oblatum in congregatione cleri.* Incipit: *Quia serenissimus princeps et dominus dominus W. (Wenceslaus) Romanorum rex et boemie &c.* ut *Cod. DXIX.*

VI. fol. 49. p. 2. *Questio composita per M. Joh. Husi sacre Theologie baccal. Anno domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> VIII<sup>o</sup>. Vtrum aliquid lege diuina prohibitum possit in aliquo casu homini esse licitum.* Infit: *Nota triplex est lex &c.* Non reperi in edit. *Opp. 1715. f.*

X. fol. 142. *Stephani Palecz Responso contra quasdam Replicationes Partis Hussiticae,* ut alibi. Incipit: *In primis ponunt quod fundamentum doctorum &c.*

VII. fol. 51. *Tractatus magistri Johannis Hus In sacra theologia baccalarij formati cuius titulus est de ecclesia quem pronun-*

XI. fol. 148. *Tractatus,* ut in calce, *de praxi ecclesie et curie. Anno domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> VIII. 3. die ante pent. Initium: Moyses sanctus tamquam solitudinis amicus interne contemplacionis intuitu ingressus interiora deserti &c.* Reprehenduntur vitia *Curiae,*

1745

## P O L E M I C I

1746

riae, praesertim Simonia et Reservatio Beneficiorum. Videtur *Joh. Hussi*, quamvis in ejus Operibus impressis non repperim. Confer tamen *Cod. DLIII*.

XII. fol. 172. incipiunt Defensiones quorundam ex XLV. damnatis *Pragae* 1408. *Wiclefi* Articulis. Defensio I. est *Articuli XIV.* asserentis eos excommunicatos, qui praedicationem verbi Dei metu Excommunicationis dimittunt. Initium: *Quia scienter uel sine rationabili examine condemnare ueritatem &c.* Extat *Opp. Hussi* edit. 1715. T. I. p. 139. II. est *Articuli XVI.* De arbitrio Dominorum secularium auferendi bona. Initium: *Ad honorem omnipotentis dei et domini ihesu christi &c.* Ibid. p. 164. III. est *Articuli XVIII.* Decimas esse puras eleemosynas. Initium: *Cum necessarium sit hominibus ratione vigentibus &c.* Ibid. p. 156. IV. *Articuli XV.* Nullum esse Dominum civilem, Praelatum &c. qui est in peccato mortali. Initium: *Nullus est dominus civilis, nullus est prelatatus &c.* Ibid. p. 159.

XIII. fol. 172. p. 2. absque titulo *Joh. Hussi* *Tractatus de Indulgentiis*, ut pluries. Initium: *Triplici re ad presens negotium urgeor &c.*

XIV. fol. 243. Differtatio, qua probandum suscipitur: *Quod nullus prelatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat ipsum esse excommunicatum a Deo.* Et: *Qui sic excommunicat, ex hoc fit hereticus uel excommuni-*

*catus.* Itaque in favorem *Articuli* inter XLV. *Wiclefi* damnatos XI. Initium: *Credo sanctorum communionem. scribitur in simbolo apostolorum. Quia spiritus sanctus habitat in sanctis &c.* Fronti alia manus praefixit: *M. Friderici.* Virum hunc ad *Academiam Pragensem* pertinuisse ea innuunt, quae ante Propositiones mox adlatas leguntur: *Ideo ex permissione matris mee almae uniuersitatis studij pragen. iuxta conclusionem eiusdem assumpsi tractandos articulos duos &c.* Est vero *Fridericus Epinge*, ut manifestant *Codd. CCCCXXVII.* et alii.

XV. fol. 257. p. 2. absque Inscriptione Repetio *M. Joh. Jessenicz* Jur. Can. D. pro defensione *Joh. Hussi*, habita juxta *Edit. Opp. Hussi* saepe cit. T. I. p. 408. anno 1412. Constat 2. Partibus, quarum prior incipit: *Cum ignorantia sit fundamentum et mater errorum &c.* Altera, quae: *Allegaciones contra processus M. Jo. Hus* inscribitur: *Premissa igitur ad practicam reducendo apparebit clarissime &c.*

XVI. fol. 275. Defensio *Articuli Wiclefiani XXXII.* *Ditare Clerum est contra regulam Christi.* Ejus initium: *Suppono quod regula christi in proposito vocetur veritas vite et doctrine christi &c.* Autor non proditur. Videtur *Hussus XLV. Articulorum* e *Wiclefo* damnatorum Apologiam inter Amicos partitus, et fortasse Singulorum Defensiones etiamnum in Codicibus sparsim extant.

XVII.

1747

CODICES

1748

XVII. fol. 286. p. 2. *Epistola Origenis de excusando se quod non dixerit dyabolum esse saluandum.* Initium: *Quidam eorum qui libenter habent criminari proximos suos attribuunt nobis et doctrine nostre &c.* Versio est *Rufini Aquilej.* de qua is in *Libello de Adulteratione Libror. Origenis,* et *Hieronymus Apolog. contra Rufinum L. 2.* et *Pet. Dan. Huetius Origenianor. L. III. C. 3. Sect. 2.* Ultima sunt: *falsum testimonium vel dicens vel dicentibus accedens.*

CCCCXLIII.

940 Codex chartaceus lat. Sec.  
941 cum XVI. tum XV. Folior. 141.  
8. non una manu conscriptus exhibet, quae sequuntur: I. *Epistolam hujus initii: Wenceslaus Boemus Magistro Michaeli suo S. P. D. Nimis tu profecto, nimis et amore falleris, et iudicio, qui ea mihi tribuis, quae ego nec modo agnosco, nec unquam forsitan praestare potero, leveque aestimas, si quid in latinis literis me olfacere putes, nisi et Atticam Minervam jam mihi arridere ut libenter, ita et facile credas. Non il lubenter et ego haec transcribo, cum hominem prodant haud peregrinum in Latio, quales in stadio, quod decurro, raro admodum obvios habeo. Est vero is, ut conjicio, Wenceslaus a patria Bohemiae civitate dictus *Pisecky* sive *Pifecenus*, quem prior Bohemiae doctae *Balbinianae* Editor etiam *Medek* seu *Mellitum**

quidem adpellatum vult, sed cum *Wenceslao Melissaeo* patria *Krteno* confundere videtur, de quo *Lupacius* ad diem 26. *Octobr.* Vide *Cl. Ungari* edit. *Balbini* P. H. p. 190. Nostrium porro idem *Lupacius* in *Coron.* p. 9. *Sigism. Gelenii* domi et in *Italia Praeceptorem*, virumque in latinis, graecisque literis, id, quod et praesens docet *Epistola*, bene eruditum vocat, et extare ab ipso pure et eleganter scriptas, sed nondum in lucem emissas *Epistolas*, tum et quaedam ex *Luciano* in latinum conversa testatur. Addam ego, fuisse etiam versatum in Theologicis; ait enim prior *Balbini* Editor, in *Pragensi* Ordinis sui *Eremitarum S. Aug. Discalc.* Bibliotheca extitisse *Disputationem* ejus inter *Magistrum et doctum Theologum Monachum de Communionem utriusque Speciei*, quam ego eandem cum *Epistola* nostra habeo. Nam perfunctus in ea *Wenceslaus* officiosis amicitiae formulis, commendatisque *Michaeli* suo, qui fortasse fuit *Michael de Strazie* Academiae *Prag.* Professor publ. et *Karolinae* Domus incola, teste *Lupacio*, 1512. 22. *Jan.* defunctus, graecis suis ad *Mathiam Chorambum* itidem Professore *Prag.* de quo *Lupacius* ad diem 2. *Jul.* literis narrationem ingreditur: *Vincentium Beroaldum* (erat is unicus superstes Patri *Philippo* sen. *Beroaldo* noto *Bannoniensium* Professori, omniumque Septentrionalium, et vel maxime *Juventutis Bohemicae* amico filius)